

25.

SCHEDIASMA PATHOLOGICVM
DE
**PILORVM PRAETER-
NATVRALI GENERA-
TIONE ET PILOSIS
TVMORIBVS**

QVOD
SPECIMINIS INAVGVRALIS LOCO
CONSENSV GRATIOSISSIMAE FACVLTATIS
MEDICAE

SVB
DECANATV

VIRI EXCELLENTISSIMI

CAROLI AVGVSTI à BERGEN

MED. DOCTORIS ET PROFESSORIS PVBLICI ORDINARIJ

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS
ET PRIVILEGIIS

LEGITIME IMPETRANDIS

IN LVCEM MITTIT

CAROLVS CHRISTIANVS WIEL

SILESIVS

PRACTICVS STRIGOVIENSIS.

FRANCOVRTI AD VIADRVM,
TYPIS PHILIPPI SCHWARTZII, ACAD. REG. TYP. 1745.



STUDIA PATHOLOGICA
IN
MORBIS
A
TUBER
TUBER
TUBER

EXCELLENTISSIMI
CAROLI AUGUSTI BRUNNI
PROFESSORIS
MEDICINAE
DOCTORIS

CAROLI CHRISTIANI WILHELMI
MEDICINAE
DOCTORIS
PROFESSORIS





Q. D. B. V.

§. I.



Eturo mihi de pilis eorumque *Introitus.*
imprimis præternaturali ge-
neratione, primario incumbe-
re videtur, de pilorum natu-
rali structura & incremento
quicquam præmittere. Sicuti enim rectum
dicitur norma obliqui; sic & corporis hu-
mani pene omnes præternaturales & morbo-
sæ adfectiones ex cognita prius & perspecta
naturali partium fabrica & indole tanto cer-
tius cognoscuntur & curantur.

§. II.

Pili sunt quasi sui generis plantæ jun- *Pilorum de-*
cifformes, quarum radix partim sub cute, *fnitio.*
A partim



partim in ipsa cute hæret, truncus seu culmus vero cutim & epidermidem perforat & ad variam altitudinem eminet; sensu carentes supra cutim, inferne autem si evelluntur acutissimum dolorem inferentes, & quovis casu deperditi iterum recrefcentes.

§. III.

Pilorum loca.

Singula loca & regiones corporis externas lustrantes, volis manuum & plantis pedum exceptis, reperiunt ubique fere pilos. Verum hoc est ubicunque epidermis subjacente cute est munita, secus accidit, ubi sola protenditur, hinc patet ratio, cur in labiis ubi epithelium s. epidermis sola carnes & glandulas tegit, secundum naturam nunquam pili reperiuntur.

§. IV.

Pilorum differentia.

Recentiorum anatomicorum plerique pilos corporis humani ad duas referunt classes, quarum prior pilos sub se continet majores & crassiores, qui radicem s. bulbum sub cute in tunica adiposa habent, ut sunt capilli, mustax, barba, pili sub axillis & ad pudenda, qui & per se ob folliculos robustiores non ita facile cadunt, quam qui in ipsa cute radicantur. Poste-

Posterior exhibet pilos tenuiores, quasi lanuginosos, minus congregatim, sed magis rare positos, undique ex epidermide emergentes, qui quidem etiam ex sui generis bulbo, sed minori progerminant, non sub cute, sed in ipsa cutis substantia latente. ^a Cel. BOERHAVIUS ^b tertiam condit classem & pilos scroti sub ea comprehendit, ex eo, quod RVYSCHIVS detexit, horum radices ad trium linearum profunditatem glandulis insigi. Ast hæc differentia specifica ex obliquitate reptatus non creat novam classem, cum revera & hi pili sub cute ex bulbillis orientur, atque sic ad primam classem referendi sint.

§. V.

Partes ex quibus pilus constat sunt inferne *Structura & partes pilorum.*
radix vel *bulbus* ^c ejus, qui est involucrum seu capsula membranacea, plus minus candicans, fortis & elastica, pinguedini adhærens, ex contextu innumerabilium vasculorum formata.

A 2

Hæc

^a vid. GARANGEOT *Anatomie des visceres Paris* 1728. p. 63.
 WINSLOW. *Expos. Anat. Paris.* 1733. *Tr. des regumens.* §. 24.

^b *Comment. in propr. Instit. Cap. de funct. cutis.* p. 529.

^c Hos bulbos HIPPOCRATI jam cognitos fuisse probabile fit ex Lib. ejus de glandulis, Oper. T. I. ex Ed. v. der LINDEN p. 415. ubi legitur αἱ δὲ τρίχες τὴν ἀπὸ τῶν ἀδένων ἐπιμαρτὴν ἔχουσαι φύονται τε καὶ αὐξοῦνται.

Hæc vascula, quæ sunt tam arteriolæ quam venulæ, certatim eo ruunt, & tam sanguinem, quam laticem multiplicem & advehunt & revehunt. Non minus hic multiplices nervorum spiræ assurgunt, ut fere dixeris, hos nervos & vasa pilo nascituro prima largiri stamina. Totus interea bulbus membrana quadam glandulosa circumdatur, quæ inferius circa principium pili spatium aliquod capax relinquit, in quo corpusculum latet pellucidum, glutinosum, cujus ad superiora continuata portio sub nomine *medullæ* in *scapum* pili porrigitur. ^a Proxime hoc corpusculum non membrana solum memorata glandulosa, sed fibrillæ minimæ ambiunt, quæ sensim superne sese adunantes medullam amplectuntur, & culmi initium formant. Arteriolæ in nutritionis gratiam pili bulbum inferius una cum fibrillis ingrediuntur, & partim ad involucrum glandulosum, partim ad corpusculum a quo medulla emergit, diffunduntur. Venæ superfluum laticem reducant. Nervi acutissimum sensum producunt, & forte quicquam ad nutritionem faciunt. Figura horum bulbo-

^a vid. D. CHIRAC in *Litt. ad. D. REGIS. in Act. Erad. Suppl. T. II. 436.*

bulborum est vel undique sphaerica, vel quod saepius occurrit elliptica, cujus extremitas crassior inferne, tenuior superne spectanda venit. *Caudex* sub cute proxime ex bulbillo emergens mollis & mucosus est, quo magis cuticulæ approximatur, eo durior, magis tenax & opacus. Hanc pilorum originem MALPIGHIVS ^a ex nervis deducit, cui tamen contradicit KAVIVS, ^b & per præparata anatomica demonstrat, capillos sub cute ex pinguedine oriri. Sed forsitan uterque conciliatur, si supponimus, pilos intra cutim radice sua nidulantes, ex nervis suam habere originem.

§. VI.

Pili (§. 2.) cutis superficiem perforantes, aut perforant ipsas papillulas cutis, aut fossulas sive lineas cutis inter papillas medias. ^c Emergentes autem difflato humore sicci durefcunt & sensum jam molestum futurum penitus amittunt. Hae partes emergentes *caudices* l. *trunci* pilorum dicuntur, & sunt

*Pili partes
externæ.*

^a Opera, Posth. p. m. 93.

^b Lib. de Perspir. Hip. L. B. 1738. p. 149.

^c WINSLOW, Tr. des regum. 100. RVYSCH, Tb. anat. L. n. 10.

& sunt admodum diversi pro differentia; partium quas tegunt. Epidermidem thecas pilorum suppeditare primus observavit RYSCHEIVS, ^a quæ in puncto emergentis pili caudicem amplectuntur & sunt coloris albicantis, quo noscitur has thecas ad cuticulam, nullo modo ad caudicem corticalem pertinere. Demta hac theca pilus constat ex cortice & medulla. *Cortex* non est perfecte cylindricus, ejus enim ad axin perpendicularis sectio non est circulus. ^b Substantiam corticalem vero esse fibrosam, tum ejus origo (§. 4.) tum fissuræ pilorum satis monstrant. Medullam (§. 4.) in corticis cavum exporrigi, testatur observatio LOEVENHOECKII ^c qui vidit in pilo lineam diversi coloris per axin caudicis longitudinaliter excurrentem. Exposita hæc structura in pilis magnorum animalium obtinet. An vero secundum JO. POZZI ^d pili in exteriori superficie ad modum cribri sint perforati? foramina versus bulbum majora evadant? & parallelum servant situm? ulteriori scrutinio relinquendum. §. VII.

^a *Thef. anat.* III. p. 13. VIII. n. 97.

^b MALPIGH. *Oper. Posth.* 93.

^c *Epist. Physiol. an.* 1694.

^d *Commerc. Litter. Norib.* 1733, 213.

§. VII.

Color pilorum unice a medulla provenit, quæ quo spissior est, & copiosior, eo saturatiorem colorem causatur. Canities autem ab exsiccato hoc succo pendet, unde scitur, quid semipelluciditas thecæ cuticulæ & corticis pili (§. 6.) hic contribuat. *Color pilorum.*

§. VIII.

Pilorum rectitudinem MALPIGHIUS ^a æ quali fistularum distensionem à succo medullari; crispationem inæquali distentioni adscribit, cui opinioni favet experimentum, quo ferro candente crispantur pili, ex humido vero aeris in pristinam figuram restituuntur. Ad minimum videtur esse causa sociæ, si non unica, ut licet concludere ex argumentis DODARTII ^b circa situm perpendicularem vegetabilium. *Pilorum figuræ.*

§. IX.

Usus pilorum in eo consistere videtur, ut leniant asperitatem aeris sub frigore & defendant molles partes, nequid ab attritu detri- *Usus pilorum.*

^a Oper. Posth. p. 93. 94.

^b Mem. de l' acad. an. 1700. p. 47.



detrimenti capiant, & impediunt, quo minus pulvisculi in aere volitantes & in vestibus hospitantes poros cuticulæ obstruant & perspirationi noxa inferatur.

§. X.

Pilorum casus & regeneratio.

Habent præ omnibus corporis partibus id singulare pili & capilli cum cuticula & unguibus, ut quovis casu deperditi integri prorsus renascantur. Naturâ sunt ergo quidem corpora organica, sed simpliciora ossibus & musculis, quæ semel deperdita à formatrice natura regenerari nequeunt. Ex quo sequitur fluidum pro generandis pilis esse ex simplicium genere & simpliciori apparatu formari. Et quum pariter in vulgus notum sit, omnes humores corporis sanguini suam debere originem, nullum dubium superest, vasa sanguifera membranas bulbi (§. 4.) cingentia hunc succum fundere. Quod vero hic ipse succus indole sua differat ab aliis omnibus fluidis secretis & quod gluten referat in aere durescens, hoc partim vicinitati pinguedinis, in qua latent bulbi, partim directioni sive peculiari vasorum reptatui tribuendum

buendum est. Docuit enim MICHELOTTVS, ^a differentiam omnium fluidorum ex uno eodemque sanguine secretorum unice quærendam esse in diversa vasorum fecernentium directione, nullique fortuito casui, sed imotis legibus eorum secretionem adscribendam esse.

§. XI.

Alterum meæ tractationis membrum in eo consistit, ut nunc ex observationibus medicorum passim collectis plenius monstrem, nullam fere esse partem corporis in & externam, quæ non data causa proxima generandis pilis præternaturalibus obnoxia sit, imo qua subsistente ipsi pili, jam jam formati, luxuriante materia nutritia in peregrina corpora mutari & degenerari non possint. Sic quoad posterius ZACHMANNVS ^b capilli in cornu transformationem & sectionem descripsit, & cornu in palpebris natum habent *Acta Medica Hassniensia* ^c quod sine dubio ex pilo suam traxit originem.

*Exempla
pilorum præ-
ternaturalium
natorum.*

B 2

§. XII.

^a *Lib. de secret. fluidorum.*

^b *Commerc. Litt. Norimb. 1736. 97.*

^c *Vol. V. p. 275.*



§. XII.

*In capite &
cute.*

In recensendis pilosis productionibus præternaturalibus ab externis ordinaribus partibus, et quidem quoad capillos in *Ephemeridibus Nat. Curios.* ^a existat observatio feminae generosa, quæ ab annis XII. post superatam febrem Hungaricam incidit in periodicos dolores capitis sævissimos, non nisi protrulione integri capillorum fasciculi per unam noctem levati, imprimis si ante quadriduum evellebantur, quibus non evulsis, retrogrado motu hi pili rursus intra cutim se abscondunt & dolores stupendos reddunt. Pilorum in reliqua cute progeniem præternaturalem & luxuriantem indolem ex adfectis papillis nerveis læsis commode deduci posse docent verrucæ sessiles, æque ac pensiles, quæ solitariis hinc inde & raris, licet crassis robustis & longis pilis stipantur, qui me judice sunt pili ex ipsa cute (§. 4.) ob adfectam papillam nerveam nati. Non solum autem solitaria quædam cutis loca, sed & cutem universam pilis præternaturalibus deturpari posse peculiaris casus ROS. LENTILII ^b docet, ubi

^a Dec. I. An. IX. X. p. 50.

^b In *Jatromnematibus* p. m. 196.





„ubi puella biennis post scabiem superatam
„pilorum progeniem ostendit ex rufo fus-
„cam, vitulinis haud absimilem, colore & lon-
„gitudine, sed facile evellendam. Dubito
huc quoque referre casum hirsutæ cutis in-
fantis recens nati ^a ubi observationis auctor
suspicitur matrem infantis compressam fuisse
à simia Mammonet dicta.

§. XIII.

Non minus natura de via ordinaria decli-
nat plures pilorum productiones sub cute &
in musculis manifestans. Fasciculi pilorum
in meliceride reperti mentionem faciunt *Eph.*
Nat. Cur. ^b Hi pili fuere nigerrimi, ab omni
cum integumentis cohæssione liberi, quorum
tamen ortum naturalem esse demonstravit M.
HOFFMANNVS, eosque deduxit ex bulbis qui-
busdam radicalibus, sive rotundis ac muco-
sis capitibus, ovali suo involucro implanta-
tis. In atheromate inter musculos colli bo-
vini pilos non fasciculatim positos, ut in ple-
risque fieri solet, sed radicitus ex substantia
B 3 pingue-

*In locis sub-
cutaneis.*

^a *At. Haffn. Vol. V. Obs. 103.*

^b *Dec. II. An. V. p. 433.*



pinguedinis emergentes vidit RVYSCHIVS. ^a Incantationi adscribit G. A. MERCKLINVS, ^b quod femina a triennio mensium subsidencia laborans intra musculos abdominis supra peritonæum habuerit tumorem, copiam non mensurabilem pilorum abraforum cum variis aliis quisquilliis continentem. Cystidem pilosam in carne bubula cocta, & quidem ex musculis coxam cingentibus extractam & mephitim olentem Acta Hassniensia ^c sapius memorata referunt. Consimilem folliculum & pilos sub bovis corio ad spatulam observatum fuisse testatur M. MALPIGHIVS. ^d Et ne plura proferam exempla consuli super hac re merentur M. A. SEVERINVS in Libro de *recondita abscessuum natura* & TH. BONETVS in *sepulchreto anatomico*, biga sane virorum, qui de anatome practica meruerunt optime.

§. XIV.

In pectore.

Exempla viscerum pectoris pilis hirsutorum passim varia occurrunt. TH. BONETVS ^e de

^a *Thef. anat.* X. p. 5.

^b *Sylloge casuum incantationi adscriptorum Norimb.* 1698. p. 86.

^c *Vol. II.* p. 140.

^d *Opera posth.* 95.

^e *Sepulchr. anat.* L. II. S. VIII. c. 39.

de juvene pugnace, qui de ardore cordis perpetuo conquestus est, refert, cor ejus hirsutum fuisse. De cordibus villosis porro scripsit WEITBRECHT. ^a Imo testimonio VALERII MAXIMI ^b ex antiquitate novimus quendam Aristomenem Messenium fuisse, qui cor hirsutum habuit, & qui trecentos Lacedemonenses occidit.

§. XV.

Magis obvium est in cavitate abdominis pilos & tumores pilosos reperire. Sic pilos ^{In abdo-} in omento vidit RVYSCHIVS ^{mine.} ^c Fasciculum pilorum in atheromate omenti mulieris hydropticæ repertum, cujus pili per microscopium visi plani erant descripsit alibi. ^d Et D. TISON ^e in cane femella vidit pilos in omento, uteri cornibus, ventriculo cordis dextro. Pilos porro ex abdominis abscessu natos testatur STALPART *van der* WIEL. ^f Et C. PISO ^g in muliere à tumore abdominis mortua, aperto tumore

^a In *Actis Petropol. an. 1736.*

^b *Lib. II. c. 6.*

^c *Th. max. n. 74.*

^d *Th. anat. R X. p. 1.*

^e *Act. Soc. Reg. Anglic. n. 2. p. 11.*

^f *Obs. Cent. I. p. 383.*

^g *De morbis a serosa colluvie Lib. III. de ventris tumoribus.*

tumore vidit libras XXIV. aquæ proflire, cui folliculus crinitus innatabat, admirandæ formæ & magnitudinis. J. J. GRAMBS ^a refert de tumore in mesenterio, in quo multos sacculos pilis repletos invenit. Pilos autem & glomeres pilorum in ventriculis animalium reperiundos huc ideo non referimus, cum non aliunde proveniant, quam quod animalia cutem lambendo pilos deglutiant, qui mucoco ventriculo cohærentes sensim in glomeres coëunt. Nuspiam autem viscus abdominis frequentius expositum est generandis hisce pilis, quam uterus cum ovaris & tubis suis, ut imprimis ex sequentibus exemplis patebit. SCHENCKIUS ^b in mulieris subita morte extinctæ testiculo tumido copiosos pilos cum materia sevo simili observavit. HORSTIUS ^c testiculum hydropicæ dextrum pilis & materia oleaginosa infarctum describit, & similem prorsus casum refert HILDANVS. ^d STALP. van der WIEL ^e notavit in ovario dextro puellæ quatuordecim annorum tumorem ovi anserini

^a In einer anatomischen Beschreibung Straßf. 1730. 4.

^b Observ. Med. Lib. IV. Obs. II.

^c Obs. Med. L. IV. Obs. 53.

^d Obs. Cent. V. Obs. 48.

^e Obs. Cent. II. Obs. 37.

anserini magnitudine, pilos & ossa continen-
 tem & nuper Cl. SCACHERVS ^a ovarium sini-
 strum in atheroma pilosum conversum accu-
 rate descripsit, invenitque hos pilos capillis
 paulo subtiliores, tortuosoque ductu pinguem
 substantiam perreptantes non nisi globum
 piloso-pinguem mirabilis magnitudinis finxis-
 se. Longitudo horum pilorum erat octo cir-
 citer pollicum, non autem ex pinguedine,
 verum ex interna tunicae incrustatae super-
 ficie prodibant. Veros autem pilos fuisse ex
 odore judicabatur, quem combusti similem
 habebant cum pilis veris. Ad uteri latus tu-
 morem pilosum observavit MALPIGHIVS. ^b *In*
Reg. Soc. Actis Anglicanis ^c exstat observatio
 glomeris pilorum ex utero extractorum, &
 alterius virginis, in cujus tumore abdominali
 pili quinque pollices longi prorumpabant,
 lateri interno adeo infixi, ut de dolore exqui-
 sitissimo conquereretur & extrahi non po-
 tuerint. Mortua virgine in latere dextro
 conspiciebatur protuberantia nuce juglande
 major, a qua pili ortum ducebant. Pilos
 C denique

^a *In Propempt. ad Diff. D. HEBENSTREIT de usu hydrargyri interno.*

^b *Oper. Posth. 95. fol. 1697.*

^c *An. 1707. num. 309. §. 6.*

denique in uteri cavitate ex interioribus ejus lateribus oriundos, pilis vaccarum similes & combustione odorem pilorum referentes; annotavit *Commerc. Litt. Norimbergense.* ^a Horum & similium pilosorum tumorum in utero, ovariis & tubis Fallopiæ repertorum accumulare quidem possem catalogum, & quidem ex eorum genere, ubi præter pilos carnes, cartilagine & ossa fuere detecta, sed merito suspicari licet, hos omnes fuisse vestigia foetuum corruptorum, imprimis cum experientia docuerit foetus perfectos in ovariis præprimis autem tubis Fallopiæ formatos esse. Sed hi omnes præsentis tractationis non sunt, nec ad censum tumorum pilosorum pertinent.

§. XVI.

*In humo-
ribus.*

Præter tot exempla pilorum ex visceribus generatorum (§. II-14.) non possum non, quin etiam mentionem faciam pilorum in fluidis nostri corporis repertorum. Periodicum capillorum mictum commemorat TVLPIVS, ^b
& MER-

^a *An. 1731. p. 238.*

^b *Obs. Med. Lib. II. O. 52.*

& MERCLINVS ^a recenset casum, ubi femina per urinam crines, clavos, acus, ceram Hispanicam reddidit, quem incantationi (cur non dolo?) adscribit. Fasciculum pilorum hinc inde substantia lapidea lithophyti instar obditorum per vias urinarias à matrona quadam, una cum materia purulenta rejectum, habet F. RVYSCHIVS. ^b Non minus evolvantur de mitione pilosa HIPPOCRATIS aphorismi. Ast de omnibus his observationibus hæc mihi stat sententia, ejusmodi præternaturalia rejecta non esse, quæ videntur. Nam quod pilos attinget, mucum in renibus hospitantem, sale urinæ spissiore redditum & condensatum posse in filamenta, in urina non amplius solubilia, extendi & pilos mentiri, testatur FORESTVS ^c simile quid facit ZAC. LVSITANVS ^d qui cum GALENO causam urinæ pilosæ in viscidam pituitam ex orobis, fabis, aliisque farinosis ingestis natam rejicit.

§. XVII.

Quod nunc attinet pilorum præternaturalem in locis inconsuetis generationem cujus

Horum generatio Diabolo ad scripta.

C 2

^a Syllog. Cas. memor. Nurn. 1698. p. 130.

^b Thef. anat. IX. p. 35.

^c Obs. L. I. S. III. 456.

^d Oper. T. I. 418.

exempla fufius (§. 10-15.) jam tradidi; mul-
 ti medicorum hic insufficientes prorsus natu-
 ræ vires judicant & ad diaboli mille artificis
 operationem confugiunt, dicendo Dei permis-
 fu fieri, ut artibus diabolicis & magicis homi-
 num male feriatorum aliis hominibus inferri
 possint ejusmodi mala morbique. At cum
 recentioribus ex naturæ mystis nego ac per-
 nego, tantam potentiam à Deo concessam esse
 diabolo, ut vires naturæ vel tantillum in suis
 operationibus turbare possit. Istius enim, qui
 leges naturæ condidit, etiam est has mutare.
 Et quum Omnipotens Creator omnibus cor-
 poribus viventibus trium naturæ regnorum
 hanc vim insitam voluerit, ut ex viribus ex
 structura & nexu partium resultantibus, se
 ipsa struant, atque in his viribus natura cor-
 porum posita sit, patet ipsam corporum na-
 turam sufficere ad explicanda talia, insolita
 licet, phænomena. Absit etiam ut omnibus l.
 etiam plerisque ex recentioribus cordatis
 medicis ejusmodi superstitiosam horum ad-
 fectuum explicationem adstringam, qui probe
 novi, multos jam esse, qui non nisi ad natura-
 les causas hic confugiunt. Sic C. MVSITANVS ^a
 de

^a *Chirurg. T. 1. p. 27.*

de peregrinis tumoribus differens, inquit:
 „Peccant vulgares naturæ opus in diabolum
 „referentes, perniciosum enim est ignoran-
 „tiæ asylum omnia in diabolum referre, quæ
 „eorum caput cucurbitinum non capit. Et M.
 „MALPIGHIVS ^a ait: Solet natura luxuriare
 „in pilorum generatione a consueta via vi
 „morbi aberrans, vel occurrentis materiæ
 „copia sollicitata. Et paulo post: Uti planta
 „amans sui foli, pili non in externis duntaxat,
 „sed internis quoque corporis partibus efflo-
 „rescunt. Quibus assentit RVYSCHIVS ^b di-
 „cens, modum naturæ agentis, formantis, mu-
 „tantis, nondum satis perspectum esse philoso-
 „phis, ita quidem, ut definire queant, quid-
 „nam illi possibile factu sit, aut impossibile.

§. XVIII.

Quare, ut mearum esse partium sentio, hic meas conjecturas proferre, juxta quas le-
 ges pili hi præternaturales in regionibus & visceribus corporis internis nascuntur, ita neminem fore existimo, me propriæ hypo-
 thesis esse tam tenacem, ut non meliora,

*Generatio-
nis formalitas.*

C 3 qui

^a Oper. Postb. 95.

^b Adv. anat. Dec. III. Obs. 1.

qui proferat, amplexurus sim. Qui ergo mecum repetit alteram pilorum seriem sub cute in cellulis adiposæ tunicæ generari, (§. 4.) atque ex vasculorum sanguineorum concursu prima bulbi (§. 4.) Stamina formari, ille largietur fieri posse, quod, quoties alicubi in viscerum interiorum superficie, quæ sub epithelio suo multam pinguedinem collectam offerunt, vasa sanguifera secernentia & revehentia, ex quacunque nobis incognita causa in spiras & glomeres concavos nova directione convolvuntur, toties nata sit occasio pilorum materiem ex his vasis in pinguedine sitis secernendi, semel autem secretam, novo impulsu à tergo superflite, ita cumulandi, ut brevi per poros externos visceris hæc materia filamentorum instar protrudatur, indurescat, & pili generentur. Etenim cum ex directione vasorum secernentium variata, diversitas secreti liquoris dependeat (§. 9.) nihil impossibile & legibus oeconomix animalis contrarium involvit, dari casus, ubi simile quid contingere possit. Pinguedinem enim proximam generandis his pilis largiri occasionem, tum allata docent exempla, (§. 14.) tum mollis pingue-

pinguedinis substantia, quæ nunquam vasculis, novam forsan directionem à sanguinis impulsu fortiore molientibus, resistantiam creat, hinc etiam est, quod nunquam nisi in pinguedine tumorum cysticorum proventus generetur. Quare omni probabilitatis specie asseverare non dubito, pilos hos esse veros pilos suis consuetis partibus integrantibus (§. 5.) constantes, atque imprimis habere suas radices (§. 5.) quid quid in contrarium dicat MORANDVS, *sur le sac & le parfum de la Civette*, ^a ubi inquit: „Ces poils contre nature trouvés en differents endroits du corps „ne se nourrissent point, comme les cheveux, les poils de la peau, les plumes, que „l' on peut regarder dans les animaux „comme des parties organisées. Ces poils „n' ont point de racine. Commune potius præjudicium de magica pilorum horum productione impedimento fuit plerisque, quominus in veram structuram ejusmodi pilorum inquisiverint. Et hinc nec tuto fidere possum verbis citati MORANDI ^b quando pergit: „Ces poils ne font point adherants aux
aux

^a *Memoires de l' Acad. Royal. 1728. p. 411.*

^b *L. c. p. 411.*

„aux parties, ils y sont simplement collés &
 „on les en detache facilement ; Cum alii
 (§. 14.) imprimis de pilis in ovario repertis
 testentur eos tenaciter infixos hæsisse mem-
 branis. Sed e diverticulo in viam regredi-
 ens ad id adhuc respondendum esse opinor,
 quod cum dixerim novam quandam vaso-
 rum directionem in vicinia pinguedinis hos
 pilos producere, eadem ratione mihi incumbat
 quasdam assignare causas, quibus hæc
 directio nova procreetur. Has vero inve-
 nire non difficile erit isti, qui considerat,
 multos tumores, in quibus præter nova va-
 sa, diversa materia continetur, per metastasin
 sanguinis vel alterius humoris formari. De-
 bet ergo sanguis particulis heterogeneis
 prægnans deponi ad aliquem locum, in quo,
 facta hac translatione & vasa turgescunt &
 magnitudine ac numero augentur, hinc mi-
 nimæ arteriolæ lymphatici liquoris vectio-
 ni destinatæ ampliantur, in glomeres convol-
 vuntur, ex quibus veluti ex naturalibus bul-
 bis tandem pilos prodire a ratione minime
 alienum est.





§. XIX.

Alterum momentum, quod natura in locis insolitis pilos producat, & quidem non infimum est, quod nempe ex aliis, hic non recensendis præternaturalibus causis, carnem, vasa, nervos luxuriantes, in variis tumoribus producere possit. Vidi aliquando tumorem cysticum magnum in nuca, caput quoddam succenturiatum referentem, vasis sanguiferis adeo amplis, magnis & numerosis instructum, ut omnia vasa subcutanea, in vicinia hujus tumoris decies & amplius superaverint, quod etiam de nervis & vasis lymphaticis verum erat. Si ergo naturae potestatem non excedit nova formare vasa & nervos, multo minus pilos generandi facultas ipsi denegari poterit, qui sunt organa vasis & nervis longe simpliciora.

*Uterius de-
claratur.*

§. XX.

De hisce pilis notatu dignum est, quod frequentissime in tumoribus tunicatis, rarius ad superficiem interiorum viscerum referantur, quodque hae cystides aut mera pinguedine, aut materia quadam unctuosa sint

*Sedes pilo-
rum interno-
rum.*

D

refertæ.



refertæ. Unde ratio redditur, cur nulla pars ex visceribus hujuscemodi pilorum fasciculis generandis magis idonea sit, quam ovaria mulierum? Et cur in macilentis & tabe mortuis rarissime pilosi tumores?

§. XXI.

Alia tumorum cysticorum contenta.

Qui inter recentiores in productione horum phænomenorum insolitorum nihil supra naturæ vires positum esse agnoscunt, de variis tumorum cysticorum insolitis contentis, cera, calculis, lignorum ramentis, unguibus, ossibus &c. ita statuunt, hæc omnia talia non esse, sed videri, ac materiam diu stagnantem & latentem temporis progressu has mutationes circa figuras subire, particulasque mistura, fitu, concursu & motu, nunc hujus nunc alterius figuræ corpusculum representare, quod in fluidis nostris secundum naturam propemodum fieri posse, infiniti gradus consistentiæ diversorum fluidorum satis superque evincunt. Ex eodem fundamento C. F. CHVDENIVS^a vermes & crinones cutis in infantibus tenellis habet pro materia viscida & impuritatibus gestationis tempore in utero collectis, & glandulas cutis constipantibus.

§. XXII.

^a *Methodus Atrophiam curandi Lips. 1726. 4.*

§. XXII.

Ad morbosam diathesin recenferi talem inconsumetum pilorum proventum, ex multis aliis pilorum morbis, ut tineæ, plica Polonica, alopecia &c. discimus, & probabile est, materiam peccantem esse abundantis lymphæ copiam, quæ necesse est, augeat etiam pilorum materiam, scil. udorem istum lymphaticum & viscido glutinosum, in pilorum folliculis reperiendum. Quibus vero auxiliis istiusmodi generationi præternaturali partium internarum obviam eatur, tum propter difficilem diagnosis, tum curam, res altioris indaginis esse videtur, testatur enim SYLVIVS in praxi sua, se nondum compertum habere, quo pacto glandularum vitiis mederi conveniat, quæ quippe magnam convenientiam habent cum morbis pilorum ex folliculis glandulosis natorum.

Pilos hos esse morbosos.

§. XXIII.

Plura quidem de origine & indole horum pilorum præter naturam nascentium possent esse cognita, si medici anatomiam practicam exercentes, plus temporis & studii impendissent tumoribus pilosis, & pilis, qui in

Epilogus.



superficie viscerum aliquando reperiuntur
curatius examinandis. Quem in finem disqui-
rendum esset, an semper hi tumores ex gene-
re cysticorum essent? An hi pili sub pingue-
dine bulbillos, & qualis structuræ obtineant?
An colore, consistentia, convenient cum natu-
ralibus? An forsân in superficie corporis ali-
cubi sit pilorum defectus, ubi interius detur
eorum vitiosa præsentia? Et quæ plura hujus
commatis sunt, quæ scrupulosius paulo scru-
tinium requirunt, de quibus vero, cum hic
sermo non sit, lubens abtineo, & huic
quidquid est opellæ finem impono.



01 A 6576


ULB Halle 3
002 931 664



TAOC

Sb.





25.

PATHOLOGICVM
DE

PRAETER- I GENERA- T PILOSIS ORIBVS

YOD
AVGVRALIS LOCO
SISISSIMAE FACVLTATIS
VICAE

SVB
ANATV
LLENTISSIMI

VSTI à BERGEN

ESSORIS PVBLICI ORDINARIII

V DOCTORIS


DICINA HONORIBVS
VILEGIIS

IMPETRANDIS
EM MITTIT

RISTIANVS WIEL

LESIVS
STRIGOVIENSIS.

AD VIADRVV,
RTZII, ACAD. REG. TYP. 1745.



B.I.G.

Farbkarte #13

